



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christophori de Ortega Sanclementini, E' Societate
Iesv. Qvondam in Provincia Toletana Theologiæ
Scholasticæ publici Professoris ... Tractatvs Dvo, De
Trinitate, Nec non, Incarnatione**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, 1664**

Qvæst. IV. An potentia generali, & spitandi omnibus personis conueniat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94251](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94251)

Aureol. art. 4. Carthuf. d. 11. quæstione 4. Ricard. art. vnic. quæst. 5. & aliis apud Ruiz, propriis, & melius dici vñi auctorem, & donatorem, quam duos. Sed neque in nostra doctrina specialiorum habet difficultatem, quo minus adiectiue duo producentes dicantur, vt omnes admittunt: cum pluralitas Personarum non compleat efficaciam quam importat principaliter nomen potentie: ac proinde, cum integra fit in vno quoque efficacia, & influxus in Spiritum sanctum, duo producentes, & potentes adiectiue dicentur.

QVÆSTIO IV.

An potentia generandi, & spirandi omnibus Personis conueniat?

STATVERAM præsentem quæstionem, de nomine totam, prætereire. Sed ne aliquid ab aliis hæcenus disputatum in nobis desideretur eam etiam adiecimus.

CERTAMEN I.

Potentia generatiua, & spiratiua male in tribus Personis asseritur à nonnullis.

DOCTORES, qui notionalem potentiam sola essentia contineri putabant q. 2. cert. 1. num. 1. vtramque in omnibus Personis esse docebant: non secus atque essentia in omnibus est. Ita & Scotus cum suis in 1. d. 7. quæst. vnic. col. vlt. §. quia autem. Eostamen ibi reiecit; atque ex ibi dictis quoad præsens facile quibus reiecit. Ita etiam Marfil. in 1. quæst. 11. art. 3. quæst. 13. art. 6. licet constitutioni potentie notionalis aduersetur. Eodem hac in re sectatur Ruiz d. 101. sect. 2. num. 6. quia censet multique probare contendit potentiam notionalem actiuam eandem prorsus cum passiuam esse: quare in quocumque sit passiuam, & actiuam necessariò fore. Assumptum probat: quia alioqui potentiores essent personæ producentes, quam procedentes, vt arguit August. 3. contr. Maximin. cap. 12. circa fin. recitatus à Magist. in 1. d. 20. sic effectus: Absit autem, vt, quomodo putas, ideo sit potentior Pater Filio, quia Creatorem genuit Pater; Filius autem non genuit Creatorem. Neque enim non potuit; sed non oportuit. Vbi, & conclusionem hanc videtur tradidisse illis verbis: neque enim non potuit, quibus duplici negatione potentiam generandi Filio asseruit.

Sed nescio qua consequentia Ruiz sic arguat, ac pro se Augustinum referat: cum sect. 1. num. 22. nullatenus concedi Filio posse dicat generatiuam potentiam. Neque id Augustinus asseruit; sed solum non habere impotentiam defectuosam, seu priuatiuam, licet negationem potentie habeat, quam non oportuit esse in ipso: cum illa potentia generandi satis compensetur potentia passiuam Filij, vt generetur. Ita etiam respondent Athanas. orat. contra Arrian. circa med. Cyrill. 3. thesaur. cap. 2. sub init. Ambros. 4. de fide ad Gratian. cap. 4. post init. vbi Arrianis respondent, eosque redarguunt: de quo rursus cert. 2. Iterum eandem notionalis potentie actiue cum passiuam identitatem probat Ruiz. Quia potentia attributum absolutum est in diuinis: ac proinde omnibus personis communis. Sed rogo an loquatur de potentia quauis diuina, nec de omnipotentia solum? Si enim de potentia, etiam notionali loquatur, aduersatur sibi d. 100. sect. 15. vbi personalitates ad constitutionem potentie notionalis aduocat: neque admittere catholice potest potentiam notionalem passiuam esse

in Personis producentibus: id quod suis argumentis probat, si quid probat. Si autem, non de potentia quauis diuina, etiam notionali, sed de omnipotentia solum loquatur, quid ad rem? Magni aiunt Argentin. Aegydius in 1. d. 20. quæstione vnic. & Ruiz: quia potentia notionalis ad omnipotentiam spectat, quæ in omnibus diuinis Personis est, vt Catholici omnes fatentur.

Assumptum, licet arduum, probat Ruiz ex Athanas. de vnit. substant. Trinit. med. vbi non temporaliter accessisse potentiam generatiuam Patri ait: Quia si per ordinem dignitas creuit, prius iam omnipotens non fuisse cognoscitur. Et orat. contra Gregal. Sabell. vers. med. Cum Dei potestas Filius sit, ideoque plenè, & ad perfectum potens est Pater. Plenè potens autem idem est, quod omnipotens. Hilari. 6. de Trinit. post med. de Patre sic loquitur: Genitum à te Filium omnipotentie tue virtute non ambigo. Ambigens enim iam omnipotentem te negabo. Cyrill. Alex. 2. thesaur. cap. 1. Quia igitur omnia Pater potest, & meliora semper vult, consubstantialis sibi ex Deo nascitur Filius. August. 3. contr. Maximin. c. 7. post med. An fortè dare non potuit? Vbi est omnipotentia Dei Patris? Profsus ad hunc articulum res colligitur: vt Deus Pater æqualem gignere Filium, aut non poterit, aut noluerit. Si non potuit infirmus. Si noluit inuidus inuenitur. c. p. 15. circa fin. Deus ergo cur non æqualem genuit? Filium, cui neque anni necessarij fuerunt, neque omnipotentia defuit. Secundo probatur ex Patribus pluribus, qui vim generatiuam, potentiam, & potestatem appellant. Tertio ex aliis, qui impotentiam fore aiunt, si Pater gignere Filium non posset. Ita Basil. 2. contr. Eunom. vers. med. Cyrill. Alex. 2. thesaur. c. 2. longè à med. lib. 12. cap. 6. circa med. Fulgent. ad 5. Obiectionem Arrianor. ante med. Denique obiectum omnipotentie est quiddam non implicat contradictionem: Filius autem, & Spiritus non implicant contradictionem: quare, & venient sub omnipotentie obiectum.

Sed enim adhuc inconsequentia Ruiz notata in 2. persistat. Atque insuper falsum omnino est potentiam notionalem in omnipotentia contineri, vt expressè reliqui Doctores fatentur, Scot. Gregor. & Okam. in 1. d. 20. q. vnic. Durand. quæst. 1. Maior d. 42. quæst. 1. sub init. vbi Carthuf. & d. 20. cum Alexand. & d. 7. quæst. 3. cum Alberto, S. Thom. quæst. 2. de potentia art. 5. corp. Vazq. d. 165. c. 2. Soar. 4. de Trinit. cap. 10. num. 3. Val. 1. p. quæst. 16. puncto 2. Caietan. quæst. 25. art. 3. ad 1. Moerat. d. 56. Luis Torres d. 28. dub. 6. Hurtado d. 1. diff. 10. §. Quarta ergo. Ratio est: quia omnipotentie adæquatum obiectum sunt propriè factibilia: atqui Personæ procedentes factibiles propriè non sunt: ergo sunt extra obiectum omnipotentie: ergo, & potentia notionalis extra omnipotentiam est. Minor est de fide, & vtraque consequentia certa. Maior probatur primò ex Fulgent. de fide ad Petrum c. 3. sub init: In eo Dei omnipotentia intelligitur, quia omnem creaturam visibilem, atque inuisibilem de nihilo fecit. Vbi non dicit inde colligi (vt Ruiz responder) sed in eo intelligi. Intelligitur autem vnum quodque in eo, in quo eius essentia, seu proprietates est. Intelligitur ex Fulgentio in productione rerum ex nihilo: ergo proprietates omnipotentie est propriè causare, seu producere, quiddam propriè creatibile est: ac proinde posse id efficere essentia omnipotentie est. Probatur secundo antecedens ex Concilio Nicæno lib. 2. longè à princip. §. Si, vt tu dicis, vbi dicitur Filius: æquè potens, vt Pater, creator cum Patre: potentiam creatiuam pro omnipotentia vsurpante Concilio. Tertio probatur ex Ambros. maior eadem. Sic enim ait 2. de fide ad Gratian. cap. 3. vers. med. de Filij omnipotentia: Ostendat aliquis, quid sit quod non possit Dei Filius? Quis ei adiutor, cum cælum faceret, suis? Quis ei adiutor, cum conderet vniuersum? Nisi autem adæquatum obiectum omnipotentie in creabilibus, seu propriè factilibus contineri putaret: licet mundum potuisset facere, ac proinde quæcumque factibilia, seu creabilia, cum Personis diuinis omnes non posset, cum nec se, nec Patrem posset, aliquid esset, videretque Ambrosius, quod non posset Dei Filius. Malèque Ambrosius, vt omnia posse ostenderet, probaret ex factilibus solum.

3 Probatur secundò conclusio ex Ambros. 4. de fide ad Grantian. sub inr. vbi aliam posuit rationem his verbis: *Non est natura, non est potentia in Christo aliqua, quod non generauit, infirmitas: quia generatio non ad sublimitatem potentia, sed ad proprietatem refertur nature.* Ac de Incarnat. Domini Sacramento cap. 8. in l. 9. med. 10. fin. sic repetit: *quia generatio non est potestas, sed ratio.* Ratio autem his contenta huiusmodi est. Operatio notionalis est natura, seu necessaria: atqui operatio omnipotentia non est necessaria, sed libera, ut potest supremæ Dei potestatis, ac dominij rerum: ergo operatio notionalis non est operatio omnipotentia. Minor est certa: siquidem operatio omnipotentia diuino subicitur arbitrio, & voluntati, ut ait August. cap. 96. Enchirid. ac de Spiritu, & lit. c. 31. Chryl. hom. de exposit. Symboli, ex quibus Magist. & Scholastici in r. d. 42. aiunt: *Quod Deus ex eo tantum dicatur omnipotens, quod omnia potest, que vult, non quia omnia possit.* Id quod, & clarum de se est, ut confirmatur ex fati probabili opinione omnipotentiam in voluntate formaliter constituyente. Probatur vterius ex Ambros. citato libro 4. post med. Arguentes enim hæreticos, quod Filius similis Patri non sit, quod non habeat potentiam generatiuam, quam habet Pater, redarguit neque Patrem esse Patrem, quia non habet potentiam passiuam, neque filiationem, ut Filio similis sit, ut oportet, ut Pater sit. Cum tamen esse Patrem hæretici defendant. Concluditque: *Adde generatio in paterna proprietate, in qua similis, nec debet, nec potest esse Filius non in iure est potestatis: quod debet esse commune, ac proinde in eo similis Patri Filius.*

CERTAMEN II.

Potentia notionalis communis tribus Personis non est.

1 **A**ntequam conclusionem præfixam probemus, ne à tergo Patres oppositi maneant, qui ad omnipotentiam simpliciter (quæ dubio procul communis tribus Personis de fide est) eorum testimoniis respondendum erit. Ergo Patres pro opposito recitati potentiam generatiuam Patris omnipotentiam non simpliciter, & absolute appellant; sed omnipotentiam Patris. Rectè enim S. Thom. citatus q. 2. de potent. art. 5. corp. ait potentiam generatiuam ad omnipotentiam simpliciter non pertinere, sed ad Patris omnipotentiam: quomodo omnipotentia laxè usurpatur, propterea quamuis, omnemque potentiam subiecto illi speciali Patris congruam, ac necessariam complectitur: eoque sensu ex defectu potentia generatiuæ non impotentiam, seu plenipotentia absolute, ac simpliciter dicta defectum, sed laxè solum sumptæ in Patre arguunt.

2 Jam verò præfixa conclusio eorum omnium est, qui potentias notionales, vel solis personalitatibus producentium adæquatè, vel saltem inadæquatè constitui supra docuerunt. S. Bonauent. Durand. Carhus. S. Thomas, Henric. Tarantaf. Vafq. d. 164. c. 4. reliquique Doctores, qui alterviro ex præfatis modo personalitates ad potentia notionalis constitutionem aduocarunt: si nostrum excipias Ruiz, qui secum, ut modo referebamus, pugnat. Etenim, si potentia notionalis actiua personalitate producentis constituitur, atque passiuam personalitate procedentis, & productæ: sicut implicat personalitatem, producentis esse procedentis personalitatem, & è contra procedentis personalitatem esse personalitatem producentis, ita & potentiam notionalem actiuam esse in procedente, & passiuam in producente, ut patet.

3 Probatur secundò: quia, vel in Filio v.g. est potentia generatiua absolute, & simpliciter, vel non? Si non est absolute, & simpliciter: ergo potentia notionalis actiua non est in Persona procedente absolute, & simpliciter. Respondet Ruiz sect. 4. 5. & 6. n. 16. & Ferrara 4. contra Gentes c. 13. esse quidem absolute, & simpliciter, licet non sit secundum vltimum determinatiuum ad ge-

nerandum. Contra: quia vel sine illo vltimo determinatiuo est potentia generatiua absolute & simpliciter, vel non? Si est: ergo est in Persona procedente potentia notionalis, licet in ea non sit vltimum determinatiuum. Cur ergo non generat Filius æquæ ac Pater? Cum potentia naturalis sit, ac necessaria; si non est, habemus intentum: in eis scilicet, Personis potentias notionales, siue actiuas, siue passiuas esse, in quibus vltimum illud determinatiuum, specialis personalitatis sit. Deinde nequit esse in aliquo potentia simpliciter, & absolute actiua respectu termini implicantis contradictionem: aut terminus potentia generatiuæ in Filio implicat contradictionem: ergo nequit esse potentia generatiua simpliciter, & absolute talis in Filio. Minor suadetur: quia, vel terminus eiusmodi potentia generatiuæ Filij est ipse Filius, vel alius Filius? Alius implicat contradictionem in diuinis: Idem autem implicat contradictionem fieri à seipso, ut patet: ergo, & potentia generatiua in Filio implicat.

4 Respondent Argentina, & Agydius, & Ruiz vbi proximè potentiam generatiuam, quam licet actiuam, diuinam absolute, & simpliciter esse talem, licet implicet absolute terminus. Est enim ex parte obiecti conditionata, licet in se absoluta sit: quemadmodum de omnipotentia (intra quam potentiam notionalem esse autumant ipsi) philosophantur politiores, esse omnium, quæ non implicat contradictionem: quare, & chimeræ, si non implicaret. Contra: quia ut bene Aureol. in 1. d. 20. quæst. 1. artic. 1. Durand. quæst. 1. numero 6. Scot. q. vnic. §. Respondeo, vel omnipotentia, ut absolute sit talis, dicit actiuitatem ad omnia, quæ fieri absolute non implicat? Vel tantum omnium, quæ ab ipsa fieri non repugnant? Si primum: ergo, cum Filius diuinus non repugnet absolute fieri suo modo in se potentia generatiua absolute talis, in quocumque sit, debet esse absolute, actiua Filij: & in quo absolute actiua Filij absolute possibilis non sit, sed eius productio absolute impossibilis non est absolute actiua, si eo modo absolute actiua est, quo omnipotentia: quare in Filio absolute non est; secundum dici nequit: quia quæuis potentia actiua creata omnipotentia absoluta erit: cum sit actiua omnium, quæ non repugnant fieri ab ipsa. Præcluse solutionem aliam Ruiz.

5 Contra secundò: quia, ut ostendi, atque hoc argumento, & replicis postremis euincitur, potentia notionalis omnipotentia non est. Sed neque ab omnipotentia duci paritas potest. Tum quia potentia particulares actiuæ repugnant absolute repugnanti termino, eiusve effectione in aliquo, quia cum illis essentialiter connectantur, saltem, ut possibilis: atque ideo non repugnat absolute omnipotentia repugnanti absolute terminis, quia cum eorum possibilitate connexa non est: ergo cum potentia actiua notionalis sit particularis potentia, ac non illa vniuersalis, ac plenipotentia, atque insuper connexa sit cum suo termino, etiam, ut extitenti posita absoluta existentia termini in se, ut est in Filio, & Spiritu sancto, & repugnanti ut ab aliquo fiat (qualis est in Filio ad generandum, & in Spiritu sancto ad hpc, & ad spirandum) potentia notionalis generatiua in Filio, & spiratiua in Spiritu sancto absolute non esse in illis, illisque repugnare demonstratur.

6 Denique respondebis esse in Personis procedentibus potentiam notionalem actiuam simpliciter, & absolute, atque Personarum productionem ab ipsis non repugnare absolute defectu potentia, sed conditionis necessaria: nempe personalitatis Patris v.g. in Filio. In primis solutione hac vti nequit Ruiz, neque vllus alius, qui potentias notionales personalitatibus producentium constituunt. Ut autem, neque alij vti possint, argumentor sic. Implicat esse potentiam actiuam necessariò dependentem in producendo à contradictione aliqua in eo, in quo natura sua conditio eiusmodi est impossibilis: at per vos personalitas producentis est conditio necessaria potentia actiua notionalis, à qua proinde necessariò dependet in producendo: atque insuper conditio eiusmodi est

est impossibilis natura sua in Persona procedente: ergo implicat potentiam notionalem actiuam esse in Persona procedente. Maior est aperta. Etenim implicat idemmet esse potentiam, & simul impedimentum suæ actionis.

omnibus quæstio procedit. Sed an ex alicuius obiecti cognitione debeat Verbum procedere à nonnullis Thomistis dubitatur. Quare ea de re statuendum in primis erit.

CERTAMEN I.

Ex alicuius obiecti cognitione Verbum procedere contra Thomistas euincitur.

DISPUTATIO V.

DE OBIECTIS ET
terminis diuinarum Pro-
cessionum.

LETERVm intellectiois & amoris, quibus diuinas processionem contineri diximus, principium obiectum est: cum iuxta Aristotelis Philosophicum axioma ex obiecto, & potentia, quam hæcenus examinamus, pariatur notitia: quod ipsum, & de amoris principis eque certum est. Supponimus autem Verbi diuini rationem non essentialiam, sed personalem esse. Cuius firmiter fundamenta ex Patribus, & ratione dedimus cursim d. 2. & 3. dum de Filij à Patre processionem per intellectum statuabamus: de eaque re iterum redibit sermo d. de propriis personarum quæst. 2. Solum ergo examinandum hic restat quorum obiectorum cognitione, ex his, quæ diuina scientia representantur, Verbum, quod personaliter tale est, procedat. Ea verò duplici differentia sunt: quædam Deo ipsi intrinseca, nimirum, quæcumque, siue absoluta, & essentialia, siue personalia, & relatiua naturæ identificantur diuinæ: quædam verò Deo extrinseca, nempe creaturæ omnes, siue possibiles, siue existentes, siue positivæ, siue negativæ: quæ etiam spectant impossibilia omnia, vt chimæ, &c. Pro horum igitur obiectorum differentia duplici duplicem instituemus quæstionem. Est autem aduertendum difficultatem esse quænam ad cognitionem diuinam quatenus hoc Verbum in ratione huius Verbi produciatur, requirantur? Vt eis, per possibile, vel impossibile sublati, Verbum hoc ab huius Verbi ratione deficeret. Dixi ab huius Verbi ratione: quia non de realitate huius Verbi, sed de formalitate solum illius in ratione obiectivæ huius, & exemplaris representationis quæstio instituitur. Etenim realitatem huius Verbi defecturam esse, si aliquid ex intrinsecis Deo non cognosceretur cognitione diuina, qua Verbum procedit, certissimum est: quia deficeret cognitio diuina, quæ nunc est, ac proinde Deitas, tota que Trinitas, quæ nunc est ipsi identificata. Hoc autem ipsum aliis Verbis inquiratur ab Authoribus: nempe: Quænam obiecta quarto modo dicendi per se requirantur ad huius Verbi, qua tale formaliter est, productionem, seu processionem? Eo enim modo requiruntur, teste Arist. 1. Poster. c. 4. causa, principia, & quidquid per se essentialiter ad aliud requiritur. Adnectimus verò quæstionem de termino processionum, quia præ sui facilitate quæstioni, ne dum toti disputationi, vix erit satis.

QVÆSTIO I.

An Verbum ex omnium diuinarum cognitione per se quarto modo procedat?

N diuinis numeramus naturam, attributa ipsam metaphysicè consequentia, ac personalitates, quibus tres Personæ constituuntur, de quibus

1. Apreolus in 1. d. 27. q. 2. art. 1. concl. 1. & art. 3. init. Ferrara 1. contra Gent. cap. 53. §. Ad evidentiam, & lib. 4. c. 13. post solutionem dubij 1. occurrentis, Canar. 1. p. quæst. 27. art. 1. d. 3. circa fin. & d. 5. p. 1. Banuez q. 34. art. 3. fin. asserunt diuinam cognitionem prius terminari ad Verbum produgendum, deinde ad illud cognoscendum: atque in eo posterius sui productione cognitio reliqua, siue Deo intrinseca, siue extrinseca, posterius adhuc cognosci: neque aliter, quam in Verbo iam producto obiectum vllum, siue creatum, siue increatum cognitione representari posse defendunt. Vnde inquit: Fieri profus nequit, vt Verbum alicuius obiecti cognitionem ad sui productionem supponat: ac proinde, vt è cuiusquam cognitione procedat. Assumptum tamen in Verbo creato fuscè improbarunt Fonseca tomo 3. metaph. lib. 7. cap. 8. quæst. 3. & 5. ad argumenta Conimbr. 3. de anima c. 8. q. 3. art. 2. cum quibus & nos ibi controu. de speciebus, & actibus intellectus. Quoad Verbum increatum impugnant Durand. in 1. d. 27. q. 2. num. 19. Aureol. d. 9. part. 1. art. 1. proposit. 3. & d. 27. p. 2. art. 2. à principio, Molina 1. part. q. 27. artic. 1. d. 3. m. 3. Valent. q. 7. de Trinitate art. 3. circa fin. Ruiz d. 59. sect. 2. & subobicurè Caietan. citata quæst. 27. art. 1. quibus, & nos subscribimus.

2. Dicendum igitur est prius terminari diuinam cognitionem ad aliquod saltem obiectum, postmodum assignandum, quam ad Verbi productionem: ac proinde Verbum non posse non ex alicuius obiecti cognitione procedere. Conclusionis huius communis probatio ex vniuersalioribus principiis perenda primum est: Quippe nullum Verbum, etiam creatum, est obiectum primarium, in quo præcognito reliqua cognoscantur. Etenim, si Verbum creatum à cognitione non differat (vt probabilior opinio fert) nihil directa cognitione cognoscetur, sed reflexa: hoc autem, & est contra experientiam manifestam, & insuper impossibile. Inferret enim inde dari cognitionem ante vllam omnino cognitionem: quandoquidem antequam supra cognitionem, quæ in hac opinione Verbum est, mens reflecteret, cognitio, seu Verbum obiecti cognoscendū supponi deberet, vt in eo, seu, quod idem est, in illa cognita cognosceretur: quare, & cognitio obiecti ante eius cognitionem vllam, quæ solum reflexa esse posset, supponeretur. Deinde quia reflexio cognitionis supra seipsam est prorsus implicatoria, præter quam in summe cognoscitio Deo: vt controu. de scientia docebamus. Si autem Verbum terminum esse, & diuersum, & productum à cognitione asseratur, tunc Verbum aequè, inò magis cognosci deberet, quam reliqua obiecta: cum hæc in illo tanquam in obiecto primario præcognito cognoscantur. Patet in cognitione Cælaris in sua imagine, quæ magis, quam ille cognoscitur: atqui experientia sua det non magis, sed minus cognosci Verbum, quam obiecta, quæ in illo cognosci ab his Doctoribus dicuntur, alioqui ad id probandum tot rationum expensis Thomistæ non egerent: ergo obiecta non cognoscuntur in Verbo, tanquam in obiecto primario. Probatur secundò assumptum: quia in Thomistarum opinione omnis intuitio, visioque externorum obiectorum aboletur: quia nullum est, quod cognosci in se possit, cum omnia in idolo illo, seu imagine, quæ Verbum est, necessariò cognoscantur. Quocirca, licet in eorum cognitione, quæ per species alienas sit, aliquam veritatis speciem habere

hæc